conuenerant, tamen non defuit studium et cura S. S.tis
qua Vincentia suos Legatos sex mensium spacio ex-
pectare Episcopos fecit, quos per literas suas ad omnes
prouincias directas inuitauit, et simul nuntios ad
Principes dimiserat, ut bona eorum pace liceret Episco-
pis ex quauis prouincia quo conuocati erant, uenire.
quod si nec Mantuæ, nec Vincentiæ frequentia Episco-
porum fuit, non ob eam quidem causam id accidit,
quam tu O. Orator affers, cum dicis illas Ciuitates
minimè aptas fuisse, quò diuersarum prouinciarum
homines conuenirent, qui solam Tridentinam nunc
aptam esse contendis; præsertim cum hoc conuen-
etiam ut satis opportuna sit Tridentina Ciuitas, ta-
men commoditate loci, et abundantia omnium rerum
quæ celebrationi Concilij sunt necessaria eas urbes
Tridentinam longè superare. sed aliæ causæ fuere,
maximæ uero ipsa bella inter Principes Christianos,
quæ hoc sanctum studium celebrandi Concilij plusq3
ulla causa et penè sola impedierit: sic uero nunc
magis eminere S.tis Eius celebrandi Concilij studium
Cæsaris studio est necesse: quod Cæsar sine inuidia
id fecerit, siue quacunq3 causa adductus, et hactenus
ad bella quæ gessit, maxima impedimenta interpos-
isse celebrationi Concilij nemo negare potest; quæ sane
tamen

tamen maiorem occasionem eius S.tis declarandæ suæ
piæ uoluntatis dederit, quòd assiduus suasor pacis
semper fuerit, bellum ipse nunquàm gesserit, quò
uel minimum impedimentum Concilij celebrationi
dare posserit; nulli parti plusquàm alteri adhæserit,
nulli Principi se socium belli adiunxerit, præterquam
ipsi Cæsari eo in bello quod uidebatur maximè iuuam
munire Concilio celebrando; utq3 tu ipse O. Orator
recte dixisti, ut qui ratione suadere sibi non permitte-
ret ut sanis consilijs obedirent, ui cogerentur.
uerùm ne singula recenseantur quod esset minis
longum, et ut omnis actionum comparatio tollatur,
quam S.tas Sua fieri non uult præsertim hac in re, in
qua de pietatis laude sit contentio, quæ qualiscunq3
sit tota Deo tribuenda est; sed ut concludatur sic
loeus de studio Sua S.tis, de laboribus, de impensis pro
celebratione Concilij, in cuius commemorationem tu O.
Orator S.tem Suam compulisti, sic breui a me expediatur
tota hac oratio. Si tu O. Orator apud animum tuum
paululum recensere uolueris singulorum annorum acta
Pontificatus S.tis Suæ, quæ publicè omnibus sunt nota,
quod si feceris eius piam uoluntatem statim clarissimè
in nuntijs et legatis agnosces, quos singulis fere
annis cum his mandatis præcipuis ad diuersas prouin-